28.

DISSERTATIO JURIDICA
EXHIBENS
PARADOXA,
Ad Titulum
DE
JUSTITIA ET JURE,
PERTINENTIA,

QVAM,

DEO T. O. M. Clementer annuente.

Sub PRÆSIDIO

DN. JOHANNIS JACOBI SCHERZII,

Institut. Imperial. Prof. P. Ordinarij,

Facultatis Juridicæ p. t. DECANI,

IN ALMA ARGENTORATENSIUM UNIVERSITATE,

SOLENNI Eruditorum Censuræ

submittit

JOHANNES FRIDERICUS MARX,

TABERNÆ-MONTANUS.

A. D. XIV. *Novembr. An. Sal. Rec. M DCC XXX.*


horis locoque solitis.



ARGENTORATI,

LITERIS Hæredum JOHANNIS PASTORII.

DEO,
PATRIÆ,
PARENTIBUS,
PATRONIS
ATQVE
AMICIS.



B. C. D.

PARADOXON
Regula illa :
Suum cuique tribue. pugnat aliquando cum Justitiæ fine.

§. I.



Ingulare & extraordinarium prima facie videbitur hoc effatum omni illi, qui, quid ſit Juſtitia, quæve potior ejuſdem cenſeatur functio, conſiderat. Sive enim cum Ju-

STINIANO Imperatore (a) eam appellet constantem & perpetuam voluntatem, jus suum cuique tribuendi, seu [ut alij (b) malunt) tribuentem; sive juxta CICERONEM (c) definiat, quod sit animi habitus vel affectio suam cuique tribuens dignitatem ac facultatem, Legibus vel moribus competentem, in communem societatis utilitatem; semper tamen differentiam specificam hujus affectionis humanæ à reliquis affectionibus in tribuendo cuique suum, seu in accurata distributione ejus, quod cuique debetur, ut constituat, necesse habet; ita, ut liceat omnino sic inferre: Quicunque Justitiam exercet, ille suum cuique impertit; Et vicissim: Omnis suum cuique impertiens administrat Justitiam. Hinc justa facere dicuntur, qui funeribus tribuunt, quod ipsis debetur. (d) Hinc

(a) pr. Inst. de Justitia & Jure L. 10. Dig. Eod.
(b) Franc. HOTOMANNUS in Comment. verb. Jur.
(c) Lib. II. de Invent. & Lib. V. de Fin.
(d) L. 2. D. In Jus voc. L. 20. §. 1. D. de Acquir. vel Omitt. hered.

Hinc juſtum vocamus omnem, qui reddit Deo, quæ Dei ſunt, & Cæſari, quæ Cæſaris; (e) qui non denegat, nec negligit, quod ſibi, quod aliis, imo quod brutis, (f) ut debitum, competit.

§. II.

Si itaque Juſtitia occupatur in exacta diſpenſatione eorum, quæ cuilibet debentur, vitio certe nemini verti poterit, qui veritatem noſtri Paradoxi in dubium vocat, & pugnam, quam illud ſiſtit, non niſi imaginariam ac fictam eſſe autumat. Siquidem, quod fini Juſtitiæ adverſatur, illud per rerum naturam ex ipſa Juſtitia deſcendere nequit. Evincunt hanc aſſertionem tot & toties jactati & uſitatiſſimi canones: Qualis eſt cauſa, talis effectus. Conſequens reſpondere debet antecedentibus. Propter quod unum quodque tale eſt, illud ipſum magis eſt tale. Finis dat mediis bonitatem. Qui vult finem,

(e) Matth. Cap. XXII, 21. & Ep. ad Roman. Cap. XIII. v. 7. & 8.
(f) Prov. Salom. Cap. XII, 10.

nem, vult etiam media, &c. Jam verò Justitiam ideo administrari, suum cuique ad eum finem tribui, ut societatis humanæ salus exinde resultet, quis ibit inficias? Qui finis si plane impediatur & eidem contrarius intendatur, tunc neque ejus principium, seu id, ex quo effectus vel principiatum fluit, invenitur tale, quale esse deberet.

§. III.

Stabilita nihilominus ac illibata manet Paradoxi prolati veritas, si ad quosdam particulares respiciamus casus. Horum duos nobis exhibet CICERO, (g) alterum de furioso gladium suum depositum, alterum de hoste patriæ ingentem pecuniæ summam depositam repetentibus; ubi reddere cuique suum pro peccato, non reddere, pro officio reputatur; addita ratione, quoniam depositarius nihil contra commune comodum aut contra

(g) Lib. III. de Officiis.

tra Rempublicam, quæ debet esse carissima, facere jure potest; non obstante, quod depositum regulariter ad nutum deponentis restituendum sit, nec invito eo retineri unquam queat, ne quidem ex causa compensationis, quam cæteroquin semper opponere licet. (h) Similia & huc spectantia nobis sistit Jurisconsultus TRYPHONINUS, (i) statuens 1°. Deponenti centum, si postea reus capitalis judicij factus publicationem bonorum suorum patiatur, deposita centum reddi non debere. 2.°. Latroni spolia, quæ Aulo abstulit, & apud Sejum inscium deposuit, ab hoc depositario restituenda non esse; utut aliâs cuilibet depositario stricte injungatur, ut depositum deponenti, sive hic dominus sit, sive non sit, in specie restituat (k) tanquam suum; Hæc enim dicitur bona fides, ut

 com-

(h) §. 30. Instit. de Action. L. penult. Cod. Depos. L. ult. C. de Compensat.

(i) in L. 31. Dig. Depositi. Ad quam Leg. vid. PUFEND. de J. N. & G. L. IV. c. 13. §. 5.

(k) L. 1. §. 39. L. 31. §. 1. D. Depositi. §. 3. Inst. Quibus mod. re oblig.

comiſſam ſeu depoſitam rem accipiat is,qui dedit. Ex quibus manifeſtò patet, non ſemper ſuum, ſive verè & protinus ſuum, ceu in duobus prioribus caſibus, ſive certo reſpectu ſuum, prouti in poſterioribus exemplis ſupponitur, cuique eſſe reſtituendum ac tribuendum, in tantum, ut, ſi danti ſuum reſtituatur, aliquando utilitati publicæ vim inferri, neceſſarium ſit.

§. IV.

Et recte quidem ac ſummo æquitatis fundamento nixus ita ratiocinatur JCtus. Suum enim tribuere non ſemper eſt, id cuivis concedere, quod ſtricto jure à me petere poteſt, nullo habito reſpectu ad publicum, vel aliorum, quorum intereſt, commodum; ſed ſuum tribuere dicitur is, qui ita juſtitiam adminiſtrat, ut non diſtrahatur, ſeu abſtrahatur ab ullius perſonæ juſtiore repetitione. Id eſt: Tunc demum cenſemur ſuum cuique tribuiſſe, ſi & publicæ & quorumvis privatorum rei pro-

prospexerimus, quemadmodum leges æquitatis ac justitiæ id à nobis requirunt. Cardo ergo decisionis in eo principaliter versatur, ut explicemus, quid per τὸ *suum* sit intelligendum. Sumitur autem *suum* vel pro eo, quod alicui competit ex jure dominij vel alio jure in re: sic Venditor Emtori *suum* tribuit, cum rem emptam accepto pretio tradit; Sic Dominus directus *suum* tribuit Emphyteutæ, si re Emphythecaria quietè frui eundem patiatur; vel pro jure aliquo ad rem, seu ad rei alicujus aut facti præstationem. e. g. Publius, promittens Sejo, se Romam iturum, si Romam se confert, Sejo *suum* præstitisse; si Depositarius rem depositam debito tempore & modo restituit, *suum* deponenti tribuisse dicitur; Vel denique accipitur pro quavis facultate alteri competente exigendi aliquid à nobis, vel non exigendi, pro jure retinendi, habendi, videndi, possidendi, & in genere præstandi aut non præstandi omne id, quod intuitu

& publi-

& pùblici & privati emolumenti quisque alteri debet aut non debet, ita, ut denegàns quid alteri petenti, quod alter petere jure non poterat, etiam *ſuum* [in hac ſpeciali ſignificatione] tribuiſſe cenſeatur, Ita à Debitore ad certum tempus ad reſtituendum obligato ſuum accipit Creditor, ante terminum elapſum mutuum condicens, eo ipſo, dum nihil accipit. Ita Judex plus in Judicio petenti *ſuum* tribuit hodie, reum ab inſtantia abſolvendo & actorem ut temere litigantem in expenſas condemnando. (l) Brevius: *Suum* vocatur vel phyſice, quoad externam faciem, ac in abſtracto, vel moraliter, conſideratis omnibus circumſtantiis, & in concreto; Illud ſi tribuitur, interdum finis Juſtitiæ non obtinetur, hoc vero, ſi tribuitur, cum fine Juſtitiæ pugnare nunquam poteſt.

§. V.

Ex quibus porro clarum eſt, in Primo ſupra

(l) Conf. quoque SENECA L. VII. Cap. 4. & 5. de Beneficiis.

ſupra §. 3. recenſitorum caſuum, ſi furioſus gladium [ratione dominii] *ſuum* reciperet à Depoſitario, quod *ſuum* quidem conſequeretur Deponens, partim, quia eſt Dominus gladii, partim quia liberum ipſi eſt, rem depoſitam quocunque tempore repetere. (m) Sed hoc ipſo, cum inſaniens gladio accepto ſibi & aliis maximum poſſet inferre damnum, melius *ſuum*, & in ſenſu morali, tribuitur *cuique* i. e. Deponenti, aliis & publico commodo, ſi Depoſitarius reſtitutionem gladij depoſiti, ſtantibus his rebus, ad tempus denegat. Idem dicendum de ſecundo caſu, ubi Depoſitarius pecuniam depoſitam ei, à quo, ne, hoſtis patriæ factus, eandem in detrimentum patriæ impendat, omnino metui poteſt, reddens, *ſuum* i. e. rem deponenti propriam reſtituit; Verum hæc *ſui* tributio fini Juſtitiæ, qui eſt utilitas conjunctionis humanæ, non tantum privatæ ſed & publicæ, adverſatur quam maxime.

(m) L. 11. Cod. Depoſit.

xime. Quod bina ſequentia exempla ex Pandectis allata ſpectat, de reo capitalis criminis, cujus bona publicata fuere, & de latrone ſubreptam prædam apud tertium, inſcium de malitia, deponente, ait JCtus, bonam fidem exigere, ut depoſitam rem accipiat is, qui dedit, quippe cui, rem ſe reſtituturum eſſe Depoſitarius antea promiſerat. Ergo & juxta hanc bonam fidem, ſeu potius ſtricta contractus & Legum verba, *ſuum* tribueret Depoſitarius, qui non alij, quam Deponenti præciſe Depoſitum, licet malè quæſitum, reſtitueret. (n) Aſt, cum hoc modo ſæpius tertio, nimirum vero domino interveniendi, injuria fieret graviſſima, & malitiam prædonum, quamvis innoxie adjuvando, publicæ quoque rei damnum inferretur, prudenter ſane in textu allegato deciditur, non Deponenti latroni, verum Domino repetenti, rem cuſtoditam eſſe

re-

(n) vid. GROT. de J. B. & P. L. II. Cap. 13. §. 15. n. 2.

restituendam, quo sic rei æquitas, quæ & ex persona Deponentis & ex omnibus personis, quæ negotio isto continguntur, impleatur.

PARADOXON.

Datur Jus Civile, quod nil minus est, quam civile.

§. I.


Vod pluribus aliis contigit vocabulis, quæ pro diversitate disciplinarum & artificiorum, imo sæpius in unâ eademque scientia vel arte pro ratione locorum, temporum, personarum aliarumque circumstantiarum varium valorem, nummorum instar juxta tritum illud: *Vocabula valent sicut nummi*, acceperunt, id certe & voces: *Jus* ac *Civile* expertas fuisse, vel solæ Leges Romanæ patefaciunt. Ratio & origo

hujus rei quærenda in ipſo uſu, ceu optimo magiſtro,

Quem penes arbitrium eſt & vis & norma loquendi. (o)

Dicitur enim I°. in genere *Jus*, omne juſſum inferiori datum à Superiore; qui poſterior cum vel DEVS ſit, vel homo, aliud vocatur Præceptum Divinum, aliud humanum; DEVS jubet aut mediate aut im̃ediate; Immediata juſſa Divina nobis exhibent primæ primis noſtris parentibus in Paradiſo præſcriptæ Leges; Mediate vero hic juſſus fit vel per Naturam vel per homines; Et quidem iterum per Naturam vel toti Univerſo ſeu omnibus creaturis, vel rebus tantum animatis, vel ſolis denique hominibus communem. Ad *illa* ſpectant Regulæ ita mundanis rebus inditæ, ut iis reſiſti nequeat, Decreta Naturæ aliâs appellatæ, ad quæ obſervanda no-

(o) HORATIUS de Arte Poët.

nolens quoque & suspirans trahitur, (p) secundum illud SENECÆ (q)

O nimium potens
Natura! quam te colimus inviti quoque.

Qualia ordinata & Decreta esse possunt sequentia & similia: Omne grave vel potius, omne gravius deorsum. Ex iis, quæ crescunt & decrescunt, unius corruptio est alterius generatio. Omnia vana & mutabilia &c. (r) Sub *istorum* nomine veniunt inclinationes, motus atque instinctus uniuscujusque animalis, secundum quos unumquodque est à natura paratum & determinatum ad existendum & operandum convenienter ejus ordini ac providentiæ; veteribus τὰ πρῶτα τῆς φύσεως, Prima Naturæ, JUSTINIANO (s) Jura Naturalia

 dicta:

(p) EPICTETUS Lib. II. Arian. Disp. c. 20.
(q) in Hippol. v. 1114.
(r) à SENECA vocantur Leges, quibus divina exercentur, in L. II. c. 27. de Ira. Pertinet huc L. 20. §. 1. D. de Serv. præd. rust. & L. 1. §. 1. D. de Aq. & aq. pluv. & inprimis capita priora Ecclesiastis. prud. Salom.
(s) in pr. Inst. de Jure Nat. Gent. & Civ.

dicta; quæ vel plane non vel vix evitari possunt, & sæpe quoque sine cogitatione ac consilio fieri solent. (t) Huc pertinet maris & fœminæ conjunctio, conservatio & defensio sui, appetitus habendi ac agendi naturæ consentanea, & fugiendi eidem contraria. *Hæc*, quæ naturæ humanæ propria voluit DEVS, rectius Jus Naturale constituunt, JCtis vero antiquis aliquoties sub nomine Juris Gentium (u) veniunt, cujus principia & exinde deductæ consequentiæ passim in corpore Juris Justinianei deprehenduntur. (w) Quod vero Deus hominibus per homines imperavit, e. gr. per Patriarchas, per Mosen, Prophetas, Apostolos & Evangelistas, Jus Divinum revelatum insignitur, & in Sacris

(t) Egregia plane sunt & lectu dignissima, quæ de apium favis ac aranearum telis habet SENECA in Epist. 121. in fin.

(u) §. 11. Inst. de Rer. Divis. L. I. §. 4. L. 2. & 3. D. de Just. & Jure.

(w) Peculiaribus tractatibus Regulas Naturales tradidere Ill. GROTIUS de J. B. & P. & PUFENDORFF. de Jure Nat. & Gent. præter alios.

cris continetur Literis. Sed & quæ homo homini vi potestatis suæ præscribit, *Jus* & *Jura* appellantur, sic Quirini jussa Jus Quiritum, Solonis vel Draconis dictata Jus Atheniense, Populi Romani constituta Jus Romanum componunt. Quæ significatio, & acceptio vocabuli *Juris* pro Lege seu toto aliquo complexu Legum vel consuetudinum hominibus ad actiones morales dirigendas à superiore præscriptarum vel approbatarum, genuina & propria est ac cæteris usitatior. IIº. Sumitur vox *Juris* specialiter pro jussu & sententia Prætoris. (x) IIIº. pro Juris arte seu Jurisprudentia. (y) IVº. pro facultate & potestate, quam quis habet à Lege, ut in definitionibus servitutum itineris, actus, ususfructus, usus &c. Vº. pro loco, in quo Jus à Prætore dicitur. (z) Alios significatus minus comunes qui scire cupit, adeat Collegium Juris Argentinense. §. II.

(x) L. 11. D. de Justitia & Jure. & Rubr. Tit. 3. L. II. Dig.
(y) pr. L. 1. D. Eod.
(z) conf. Libri II. Digest. Tit. 4. 5. 6. & 7. L. 11. D. de Justitia & Jure. L. 4. §. 1. D. de Interrog. in jure fac.

§. II.

Transimus ad vocem *Civile*. Denotat autem illa, si sensum vel Grammaticum vel Juridicum attendamus, idem, quod Civicum, quod ad Cives pertinet e.g. *Civilia* bella, *Civilia* Jura, seu quæ Civitati sunt propria; (a) Deinde id, quod viris solùm competit, non fœminis non impuberibus; Ita officia virilia & *civilia* habentur pro Synonymis. (b) *Civile* porro opponitur precario; sic verba legitima, directa, imperativa & vulgaria *Civilia* dicuntur, & ab obliquis ac in modum precum prolatis verbis differunt. (c) Præterea *Civile* vocatur, quod æquum, quod urbanum, quod legitimum, quod honestum est, ac cum sana ratione conveniens. (d) Faciunt huc versus Ovidii: *Nec*

(a) §. 1. Inst. de Jure Nat. Gent. & Civ. L. 6. & 9. D. de Justit. & Jure.

(b) L. 2. §. 1. D. de Div. Reg. Jur. L. 18. C. de Procur. 2. §. 1. D. ad SCtum Vellej.

(c) Ulpian. in Fragm. T. XXV. §. 1. L. 7. D. de Vulg. & pup. Substit.

(d) L. 23. in f. D. Quod metus causa. L. 24. D. de Legibus. L. 28. §. 2. in f. verb. sed etsi. D. de Jure Dot.

Nec tamen officium nostro tibi carmine factum
Principe tam justo posse nocere puto.
Ipse pater patriæ (*quid enim* civilius *illo*?)
Sustinet in nostro carmine sæpe legi. (e)

E contrario *Civile* interdum adversatur naturali & vero, vel ad minimum ab illo secernitur. e.g. Quando JCti obligationes, cognationes, possessiones, alias Naturales, alias Civiles esse statuunt. Sæpius autem *Civile* opponitur Prætorio; Hoc sensu Actiones, Exceptiones, Stipulationes, Cautiones &c. dividuntur in Civiles & Prætorias; illæ ex Lege, Senatusconsulto vel ex sacris constitutionibus proficiscuntur, hæ ex propria Prætoris Jurisdictione. (f) Quandoque *Civile* dicitur specialiùs, quod originem suam ducit à Legibus duodecim Tabularum. (g) Aliquando contradistinguitur Criminali. Sic Judicia

C

(e) L. IV. Trist. Eleg. 4. v. 11. & seqq.
(f) §. 3. J. de Action. pr. J. de Perpetuis & tempor. act. tot. Tit. Inst. de Divis. Stipul. §. 7. J. de Except.
(g) vid. L. 10. C. de Jure delib. junct. L. 7. C. de Hæredit.

dicia dicuntur vel *Civilia*, quibus interesse privatorum, vel Criminalia, quibus interesse publicum prosequimur. (h) In sensu eminentiori *Civile* Jus vocatur Jus Romanum, (i) ad denotandam prærogativam, aut distinctionem ab aliarum Civitatum Juribus; item à Jure Naturali à Jure Canonico & Feudali.

§. III.

His præmissis ad nodum Paradoxi nostri dissolvendum, non opus erit ense Alexandri M. sed facile patebit lori extricatio ei, qui, quid *civile* in asserti nostri subjecto, quid in prædicato ejus nobis dicatur, perpendit. Quando enim de Jure *Civili* loquimur, intelligimus Jus certum in aliqua Civitate constitutum sive scriptum sive non scriptum, de quo, præsertim posteriori vix est ut dubitemus, tale datum fuisse & adhuc dari, quod rectæ, ratio-

(h) L. 27. D. de Injuriis L. ult. D. de Furtis. L. 28. §. 12. D. de Pœnis.

(i) §. 2. Inst. de Jur. Nat. Gent. & Civ.

rationi, quod æquitati vel honeſtati adverſetur; poſtquam ipſe Imperator JUSTINIANUS (k) ac tot ante & poſt eum Legislatores (l) illud & agnoverint & ſimul reprehenderint; Inſuper Praxis quorundam populorum ad hunc uſque diem uſitata vel invitis nobis oſtendat. (m) Hoc Jus, utut durum, quin nomen Juris Civilis obtineat in illis locis, ubi obſervatur, uti extra omnem dubitationis aleam poſitum videmus, ita quod idem contra bonos mores ac æquitatis rationem, per conſequens incivilem iniquum ſit, non eſt, cur ambigamus.

(k) in Lege 2. C. Quæ ſit longa conſuetud, L. 7. D. de Incend. ruina &c.

(l) CONSTANTINUS in Leg. all. 2. FRIDERICUS Barbaroſſa in Auth. Habita &c. C. Ne filius pro patre. & CAROLUS V. in Ordinat. Crimin. art. 210. vid. GROT. de J. B. & Pac. L. II. C. 7. §. 1. Add. Cap. ult. X. de Conſuet.

(m) Huc ſpectant conſuetudines, licet irrationales, ali-

PARADOXON.

Jus redditur illi, contra quem inique decernitur.

§. I.

Stendimus in ſuperioribus, atque enodavimus, qua ratione tribuendo vel non tribuendo ſuum alterius jus lædatur, nunc diſpiciamus quoque, quomodo jus reddi poſſit, ita ut is, cui redditur, ſuum non conſequatur. Id quod eo magis mirandum videtur, quo certius eſt, Jus reddere ſæpius idem ſignificare, ac adminiſtrare Juſtitiam, Jus dicendo ſuum tribuere. Jus etenim, Juſtitiam ac Judicium promiſcue ſumi poſſe, ex ſupra dictis colligere licet; *Reddere* autem non tantum denotat reſtituere, ſed & de novo con-

concedere, distribuere; unde SENECÆ (n) *reddere* est, id volenti dare quod debes; Sic dicitur Judicium reddere, actionem reddere (o) Prætor, qui agendi & suum in Judicio persequendi facultatem partibus largitur; Unde & hîc certe concludimus; Qui Justitiæ officio fungitur, ille jus cuique tribuit, & negative: cui suum à Judice non tribuitur, illi nec jus redditur. Nunc autem omnis ille, contra quem inique decernitur, suum, quod ipsi debetur, non nanciscitur, per consequens, neque Jus eidem redditum dici poterit.

§. II.

Verum ex inspectione *Legis 11. Dig. de Justitia & Jure* apparet; Prætorem ac omnem Magistratum & tunc Jus reddere, cum inique decernit; nimirum in Thesi Jus reddit, licet in Hypothesi ini-

que reddat, Leges male ad caſum propoſitum adhibendo, ita quidem, ut parti jus talem ſententiam contra æquitatem læſæ via pateat ad appellationis remedium. (p) Hinc per ſe manifeſtum fit, in Paradoxo noſtro *Jus reddere* nil aliud ſignificare, quam pronunciare inter litigantes, ſententia ſua litem motam decidere, quemadmodum ſupra (q) annotavimus, ſive hæc deciſio æqua ſit, ſive iniqua & à Judice ſuperiore, ad quem provocatur reſcindenda; Atque ſic mirum non amplius erit, quod illi, contra quem inique decernitur & cui ſuum non impertitur, ſententia tamen ſeu jus reddi à Judice dicatur.

§. III.

Caſum huc pertinentem nobis ſuppeditat Jurisconſultus Mæcianus *in Lib. Fideicommiſſ.* (r) ubi Prætor cognitâ cauſa

(p) L. 5. §. 2. D. de Appellat.
(q) pag. 15. hujus Diſſert.
(r) vid. Legem 95. §. 2. ad SCtum. Trebellian.

cauſa per errorem, vel etiam ambitioſe juſſit, hereditatem, ut ex fideicommiſſo, reſtitui; ac quæſtionem: An ille Prætor Jus reddidiſſe cenſendus ſit, anque ejus ſententiâ executioni danda? affirmative decidit; hac ratione ductus, quia publice intereſt, ut juſſui Prætoris ad amuſſim obtemperetur, etiamſi vel ex errore culpâve ſuâ male ac inique pronunciaverit; Imo, quod majus eſt, etiamſi *ambitioſe*, id eſt; gratioſè, in gratiam ac favorem alterutrius partis *(s)* contra conſcientiam & æquitatem decreverit, ſicque ſuum cuique non tribuerit.

§. IV.

Obſtare quidem hiſce videri poſſet *Lex 1. §. 1. D. de Feriis.* per quam ſententia Prætoris contra Jus lata nullius momenti & citra appellationem infirma declaratur, cum uti factum à Judice, quod

betur, (t) ita nec factum Prætoris Juri derogare oporteat. Quod autem nullius momenti & nullum eſt, illud tanquam pro infecto habitum ſubſiſtere nequit, ne per momentum quidem, hinc ſententiam dixiſſe aut jus partibus reddidiſſe in noſtro caſu Prætor non videtur, ergo, nec eidem mos gerendus, ſed potius executioni ad 30. annos Querela nullitatis obſtaculo erit. (u)

§. V.

Verum enim vero ſalva noſtra res eſt, ſi diſtinguamus inter ſententiam injuſtam & ſententiam iniquam, illamque appellemus, quæ fit contra Jus in Theſi, ſeu contra Conſtitutiones; exempli gratia, ſi Judex ſupra Juriſdictionem vel extra territorium Jus dicat; (w) ſi cauſam deleget, quæ

(t) per L. 170. D. de Div. Reg. Jur. L. 1. & 2. D. Quæ Sent. ſine Appell.

(u) Conf. Ill. Gail. L. 1. Obſ. 127.

(w) L. ult. D. de Juriſdict. L. 1. §. 1. D. de Off. Pr. Urb. C. Qui pro ſua Juriſdict. L. 2. & ult. C. Si à non comp.

quæ ad ejus Juriſdictionem non pertinet; *(x)* Si adverſus rem judicatam pronunciet; hanc, quæ Legibus quidem civilibus non contrariatur, ſed quæ eas male ad caſum obvenientem applicando jus partis in hypotheſi lædit, per modum Appellationis retractanda ac corrigenda. *(y)* De illa *L.1. §.1. D. de Feriis.* de hac *L.* noſtra *11. D. de Juſtitia & Jure.* loquitur. Ibi nulla Sententia lata, nec Jus redditum, hîc lis pro deciſa & Jus redditum recte cenſetur, tam ſecundum Canonici quam Civilis Juris principia; Utrumque enim Sententiam partibus vel plane non, vel male v. gr, ad diem feriatum citatis & abſentibus latam ipſo jure nullam eſſe jubet, *(z)* ea præſertim de cauſa, quod partes nunquam, vel non legitime, citatæ

D com-

comparere non teneantur, & quandoque etiamſi velint, ſiſtere ſe non poſſint, ſicque abſentes inauditæ maneant, & indefenſæ; per conſequens tale judicium non maturum, ſed præcipitatum, & ſententia in eo lata nullius momenti ac invalida meritò habeatur.

Soli DEO Gloria.

